HONORIUS AUGUSTODUNENSIS, UNVOLLSTäNDIG
Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh.
Seite 74r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



scribitur. quae septem tantum reperiuntur. Vigilia domini in qua feria occurrerit. illius fratrum psalmum et canticum cum antiphonis obtinebit. praecedens vero sabbatum canticum audite celi cum antiphona ex psalmo obtinebit. Si vigilia domini in dominica evenerit. sex responsoria de hystoria canite tuba. et tria de vigilia cum laudibus assumet. missam de vigilia et horas de dominica accipiet. In nativitate domini Te dominum laudamus. post novem responsoria ante missam canitur. ad missam ite missa est non. sed benedicamus domino dicitur. In festo sancti stephani secundam vesperam totam de sancto stephano canimus. similiter de sancto Johanne in sequenti die facimus. In nativitate innocentum gloria in excelsis. et te dominum laudamus. et alleluia. et ite missa est non cantatur. dalmatice non portantur. gloria patri nunquam nisi in passione domini omittitur. Si illorum festum in dominica occurrerit. nichil de his omittimus. In octavis quoque illorum omnia canimus. Si nativitas domini vel alia festivitas in dominica evenerit offertorium Dum medium silentium post natale innocentum canimus. et in sequenti dominica idem repetimus. In octavis domini non puer natus. sed vultum tuum est cantandum. quia totum offertorium illa die de sancta Maria agitur. unde et alleluia Post partum canitur. et oratio Deus qui salutis eterne dicitur. In epiphania invitatorium non cantatur. sed a psalmo Afferte domino inchoatur. et antiphona fluminis cum psalmo in .iii. nocturno reservatur. Si epiphania in dominica evenerit. dominica in octavis differtur. Si autem dominica infra octavas occurrerit. offertorium In excelso trono totum cantabitur. quod etiam si necesse fuerit. in sequenti dominica repetitur. Ad dominicam autem infra octavas psalmi dominicales cum cantu de epiphania recitandi sunt. Privatis quoque diebus infra octavas feriales nocturne cum antiphonis de epiphania et responsoriis cantande sunt. Matutinales laudes etiam de festo agende sunt. iuxta romanum ordinem, nunquam nocturnam ferialem dimittimus. cum tria responsoria dicimus. nisi in ebdomada pasche et pentecosten. Omni anno In excelso trono infra octavas epipiphanie cantabitur. etiam si plures septimane ad septuagesimam videantur. Porro si unum tantum ebdomada inter epiphaniam et